

faciant cap. Licet causam de probatione. latè Farinacium de testibus, quest. 80. numero 61. Burattum decis. 726. numero 3. & 4. Rotam inter impress. post Modernum Pisanum de jure patron. decis. 26. la. 2. num. 7. quamvis examinati fuerint
 13 cum interrogatoriis Abbatis, * quia interrogatoria data fuerunt extra terminum, & ex hoc capite non sustinetur examen, nisi fuerit illius sanatio commissa cum clausula: Arbitrio, uti fuit decisum in Barcinonen. Decimarum, 27. Junii 1640. coram D. Domino Episcopo Terracinen. in Romana successione, 9. Maii 1644. coram me; respectu verò Fratrum Rogerii non probatur, quod illi possiderent pro indiviso cum Rogerio,
 14 & Domino Marchio † quia ab illis causam non habet hanc nullitatem ex eorum persona allegari non potest, Bacc. de probationibus, lib. 1. cap. 7. numero 60. & sequentibus. Surdus in terminis defectu citationis consil. 1. num. 87. & sequentibus. Additionator ad Gregorium XV. decis. 415. num. 6. Rota decis. 277. nu. 7. part. 1. recentiori.
 Ad secundum respondetur quod defectus jurisdictionis laicalis cum respiciat favorem Ecclesie, ea, & personis Ecclesiasticis tacentibus non potest à laicis allegari, † nisi de hoc appoverint, dum iudicium agebatur ad tradita per Bartolum in l. 2. nu. 8. & 10. ff. exequi rei iudic. Socinus senior. consil. 78. nu. 8. lib. 4. Surdus dict. consil. 1. num. 84. & ferè in puncto ita respondit Rota in Romana reintegracionis, 23. Februarii 1654. §. 1. vers. Eum de hoc coram Reverendissimo meo Cerro. Eò minùs quia potuit Episcopus Astenfis, * & Abbatibus Sancti Andree uti constitutionibus laicalibus tanquam privilegiis, & si illis non sufficiant, Surdus consil. 8. sub nu. 19. Additionator ad Gregorium XV. decis. 279. num. 24. Sperell. decis. 11. nu. 7. Mell. decis. 146. num. 6. Rota in Senogallien. fructuum census, 10. Junii 1644. coram Reverendissimo Domino Episcopo Jenacinen. & Romana seu Januen. locorum Montium, 26. Junii 1648. coram Reverendissimo meo Cerro, & in omnem eventum exinde educi non posset nisi læsio tertia parte pretii, quæ ulterius excluditur, † ex pacto redimendi in deliberatione apposito, quod pretium minuit, Rota decis. 344. nu. 13. part. 4. tom. 2. recent. & in Romana præsentæ simulationis contractus, 16. Junii 1653. coram Reverendissimo meo Verospio, nec non quia ex dispositione juris communis
 18 deliberationes * semper fiunt creditori minori pretio, Gloss. in Authent. h. correct. verb. Decimarum Cod. de Sacrosanct. Eccles. Buratt. decis. 96. num. 16. Vincentius de Franchis decis. 102. nu. 7. decisione 224. num. 2. aliique relati à Modern. Perus. de subhast. inspect. 31. num. 15. cumque
 19 exceptio læsionis † respiciat petitorium, non admittitur in hoc summarissimo possessivo Gregorii XV. decis. 120. numer. 17. Buratt. decis. 788. num. 16.
 Ad tertium satis est respondere, quod asserta occupatio bonorum non aliunde probatur, quam ex testibus nulliter, uti supra examinatis, & probanda esset præcisè in illis sex annis circiter, pro quibus Canones petiti fuerunt, oportetque probationes, sive iniustitiæ, sive nullitatis de liberationis esse adeò claras, * ut nullo velamine offuscari possint, aliàs non retardatur manutentio immissa à Iudice, ut sæpius dixit Rota in decis. 377. num. 4. & 5. coram Card. Cavaler. in decis. 927. coram Mart. Andr. dec. 414. n. 3. part. 4. recent. & in aliis relatis in Bononien.

prædii 10. Martii 1653. coram R. P. D. meo Celfo.

Eò magis in concursu D. Marchionis, qui ex persona propria est posterior possessio; nec juvari potest decreto manutentionis obtento à Iudice primæ instantiæ, quia est suspensum per appellationem, & actus possessoris * ab eo gesti dederunt causam liti ex allegatis per Moder. Perus. de manutend. observat. 17. num. 44. observat. 41. num. 5. ex persona autem Rogerii antiqui possessoris transferri in eum possessio non potuit, quia ille quando vendidit cum clausula, constituti, omnem possessionem amiserat nedum propter auctoritatem Iudicis qui uti supra ritè & rectè ad deliberationem processit, sed etiam ex facto proprio, cum enim bona ab Abbate possideri usque de anno 1645. ut apparet ex superius memorata protestatione, certò sciverit, & nusquam per novem annos, quibus Abbas pacificè possedit à deliberatione appellaverit, sed continuò acquieverit, censetur deposuisse animum possidendi, & sic nec civilem possessionem retinuisse, ad quem effectum non requiritur lapsus decennii, quando prior possessor sciivit ab alio occupari naturalem possessionem ac tacuit, quia taciurnitas juncta acquiescentiæ voluntariæ modici temporis facit præsumi depositurum fuisse animum possidendi, * licet fecus sit
 22 non data scientia possessionis naturalis ab alio apprehensæ, ut benè post alios distinguit Aymon. consil. 235. sub nu. 1. quam distinctionem sequuntur plures allegati ab Additionator. ad Gregorium XV. decis. 307. sub nu. 26. & perpetuò approbavit Rota decis. 123. num. 4. decis. 129. num. 1. decis. 164. num. 8. decis. 327. num. 21. inter impress. post tractat. Modern. Perus. de manutent. etiam Volaterrana Prioratus, 16. Martii 1646. §. gratis in fine coram me.

Facilius in casu nostro, quod ulterius in instrumento venditionis subsequitur de anno 1653. Rogerius mentionem fecit possessionis per novem annos continuos retentiæ ab Abbate, & cessit pro recuperando omnia jura Marchioni Adversario, exinde namque factus explicitè fuit se non possidere, dum etiam ex tam longa antecedenti scientia alienæ occupationis naturalis, id ipsum educitur, quicquid dicendum esset, nisi id concurreret & ex aliis circumstantiis colligeretur similem possessionem fuisse animo retentam, Buratt. decis. 269. numero 4. Duran. decis. 23. num. 16. decis. 74. numero 21. alioque refert: Modern. Perus. de manutent. observat. 57. num. 95. qui aiunt primò casu verba contentis referenda esse ad omnem possessionem, secundò verò ad recuperationem tantum naturalis possessionis, unde clausula, constitui, in dicto instrumento apposita verificatur tantum in iuribus certis, in quibus, * prout in
 24 omni alio jure incorporali, cadit possessio, vel quasi ex allegatis per Modern. Perusinum de manutend. observat. 31. num. 1. & seqq. præsertim quia respectu honorum possessionem etiam civilem * longè ante ut dicebam, Rogerius amiserat, nec iterum acquirere potuit sine nova apprehensione naturalis Rot. decis. 9. nu. 9. part. 5. recent. decis. 554. num. 24. apud dicta Modern. Perus. de manutent. qui concordantes refert in observat. 17. numero 14.

Et ita decisum dubio bis proposito utraque parte informante.

DECISIO CVII.

R. P. D. BEVILAQUA.

Melevitana Viridarii.

Lunæ 15. Julii 1654

SUMMARIUM.

- 1 Hypotheca datur pro Legatis, est fundamentum Salviani numero 4. Hæredi, aut Legatariis non competit in re alteri specialiter legata numero 6.
- 2 Salvianum compeit habenti hypothecam. Declara ut numero 5. Cessat ubi non adest hypotheca numero 7.
- 3 Bona patris filio assignata efficiuntur filii patrimonium.
- 4 Hæreditaria reservata ad hæredem ex alio titulo non reincident in hypotheca pro Legatis. Empta nomine proprio hæreditati non acquiritur numero 9.

Joan. Paulus Manduca pro omni, & quocumque jure legitimæ, & paternæ successione legavit uncias 400. singulis ejus filii Religionem ingressuris, arbitrio Catharinæ ipsorum matris, & tutricis in pecunia numerata, vel in tot bonis stabilibus solvendis pro hujus Legati consecutione ven. Cumulus charitatis Meliten. hæres Petri Pauli unius ex dicti testatoris filiis in Religione Discalceatorum professi, iudicium instituit, & à R. P. D. meo Peutingerio, prævis duabus decisionibus, sententiam immisionis in possessionem Viridarii, de quo agitur, reportavit, cujus confirmatione in gradu appositionis coram me petita deneganda esse fuit hodie resolutum.

Quia licet pro Legatis omnia bona jura, & actiones testatoris sint legatariis obligata, † & competat super illis hypotheca l. 1. c. com. de legat. §. autem nostra constitutio instit. de legat. Et ideo pro isto jure quod habuit Petrus Paulus & in Cumulum hæredem translatus est, intret utile Salvianum † interdictum ab eodem intentatum juxta consil. Gabriel. 46. numero 19. & seq. lib. 1. & opinionem, quam semper sequuta fuit Rota ut in decis. 878. num. 1. coram Cardinali Seraphin. & Mantiv. decis. 156. numero 3. 4. & 5. Duran. decis. 185. numero 2. & 5. apud Merlin. decis. 218. numero 1. & in recent. decis. 438. numero 5. part. 5. Addeat ad Buratt. decis. 287. numero 21. Attamen conclusio procedit quatenus omnia necessaria requisita † essent justificata, ut fuit dictum in decisionibus sub diebus 3. Maii 1653. & 8. Junii 1654. coram R. P. D. meo Peutingerio emanatis, & probant Roland. à Valle in consil. 14. n. 13. lib. 1. Rota decis. 407. n. 1. p. 5. decis. 59. eodem nu. p. 6. & coram me Gregor. XV. decis. 491. nu. 6. & decis. 176. nu. 1. apud Pacific. de Salvian. interdict.

Sed ex noviter in hac secunda instantia deducis visum fuit deficere extremum hypothecæ, † quæ dicitur mater, & præcipuum fundamentum Salviani l. 5. ff. de Salvian. interdict. Arentin. in §. item serviana numero 9. institut. de act. Natta consil. 474. num. 84. Rota coram bon. mem. Coccin. decisione 50. num. 2. & decisione 385. num. 3. part. 1. recent. Idque apparet ex eo quia Decisiones ad Tract. de Alim.

Viridarium, & cætera bona, contra quæ Cumulus agit sorores de Habelis reæ conventæ docent per instrumentum publicum, relatum in hodierno summario n. 2. fuisse à Catharina antecedenter assignata Hieronymo alteri Joann. Pauli filio in satisfactione similis Legati dum Religionem Societatis Jesu fuit ingressus. Unde post dictam assignationem à præfata Catharina factam, vigore facultatis in testamento Joannis Pauli sibi specialiter tributæ, Viridarum & alia bona ibi comprehensa exiverunt suam propriam naturam, & effecta patrimonium † dicti Hieronymi, adeo ut libera, eo exempta ab omni hypotheca remanisse censentur, l. pater filium 36. §. quindecim ff. de legat. 3. l. solvitur §. 1. ff. de quibus mod. pign. vel hypothec. solvit. l. cum solvendæ 4. ff. de distract. pignor. Ruin. consil. 118. n. 11. lib. 1. Scapuccin. de Salvian. interdict. lib. 2. quest. 5. per tot. Cyriac. in contrav. 119. n. 5. Pe-regrin. decis. 2. n. 11. Rota decis. 17. nu. 17. part. 5. rec. & coram bon. mem. Merlin. decis. 128. nu. 14. Et tali casu perinde existimari debent, ac si fuissent Hieronymo particulariter legata, * ut in illis, nec Petro Paulo, vel Cumulo hæredi, neque aliis legatariis competat hypotheca, l. si fideicom. 11. §. ult. ut in poss. legat. l. uxorem 59. §. felicissimo ff. de legat. 3. gloss. in l. 1. in verbo in multis, vers. hoc tamen C. com. de legat. Ne-gulan. de pignor. p. 2. membr. 4. sub n. 160. vers. 4. limitata statim. Pacif. de Salvian. inspect. 3. cap. 4. n. 306. & 307. Cessante igitur hypotheca † perimitur, & actio in Salviano interdicto proposta contra dd. sorores de Habelis posseditrices dicti Viridarii, & terrarum, quas Cumulus obnoxias præterit pro legato ejus Auctori relicto, sed si ex duobus 6. §. sed & Marcellus ff. de in diem addit. l. lex veltigalis 31. ff. de pignori. l. 1. ff. de Salvian. interdict. Penia decis. 601. n. 5. & in aliis supra allegat.

Nec facit quod hujusmodi Viridarum & bona postea pervenerint ad manus Catharinæ tutricis & hinc reincident in hæreditatem Joannis Pauli ad commodum filiorum, taliter, † quod favore omnium sint hypothecata pro consequendis legatis, ac si nunquam existissent de hæreditate legatis ex congestis per Decian. in consil. 18. num. 17. & 18. lib. 2. quia id evenit ob molestias Hieronymo illatas super dicto Viridario, à quibus ut se eximeret illud Catharinæ retrocessit, ipsa autem loco illius tot bona propria dedit, & assignavit, sicque Catharina jure proprio uti Domina ex alio titulo quæsitit hoc Viridarum, quod prop. legat. amplius non subiacet l. si solidum 80. §. si venditor ff. de legat. 2. l. postulante 44. in fine, & l. debitor 59. §. sine ff. ad Trebell. l. qui hærede 44. cum hæreditas ff. de condit. & demonstrat. l. Item veniunt 22. in princip. de pet. hæredit. com. consil. 196. n. 14. & 15. lib. 2. Rota apud Pen. d. 621. n. 13.

Neque etiam obstat quòd retrocessionis instrumentum sit stipulatum à Catharina uti tutrice filiorum, & bonorum administratrice, quia qualitatem tutelæ, & administrationis hæreditatis Domini adjectam esse putarunt ad demonstrandum quod tanquam talis juxta facultatem sibi in testamento viri concessam hoc viridarum in solutionem legati Hieronymo debiti elegit, & tradidit. At contractus ipse retrocessionis deprehenditur stipulatus * nomine proprio suo se, & suis; quod denotat ad sui & suorum hæredum commodum, non autem hæredis Viridarum fuisse

fuisse quæsitum leg. fin. 11, §. interdum, Digest. de legatis tertio. Bartolus in leg. Imperator, 72, §. cum autem, Digest. de legatis secundo Ancharanus consil. 23, num. 6. Natta consil. 262, numero 72. Peregrin. consil. 31, num. 11. vers. 2, casus, lib. 4. & in tractat. de fideicommissis, art. 44, num. 28. & decis. 2, num. 9. Rota coram Buratt. decis. 650, num. 6, & seq. & in Cathacen. hereditatis, 28. Aprilis 1653, §. quia cum coram Reverendo meo Cerro.

Et ita ex defectu hypothecæ Domini censuerunt sententiam esse infirmam, utraque parte informante.

DECISIO CVIII.

R. P. D. VEROSPPIO.

Mantuana feudi.

Lunæ 29. Novembris 1655.

SUMMARIUM.

- 1 Investiturae posteriores à prima regulantur pro masculis & feminis utrumque sexum comprehendunt numero 2. in præjudicium vocatorum non possunt alterari numero 12.
- 3 Femina in feudo improprio & francum masculinum remotiorem à successione excludit. Et in paritate gradus admittitur simul cum masculino numero 4.
- 5 Feudum non obligans ad servitium personale dicitur improprium, & francum. Datum ob merita censetur improprium numero 7. Concessum cum facultate alienandi irrequisito Domino dicitur Francum num. 8. Improprium, in pactonatum, & mixtum dividitur numero 21.
- 6 Servitium personale censetur remissum eo quod in concessione feudi non apparet expresse in junctum.
- 9 Clausula salvo jure feudi restringit facultatem alienandi in eadem investitura concessum: declarata non procedere juxta dictionem prædicti; quo casu illa facultate alienandi, alia jura præservat numero 10.
- 11 Alienationis prohibitio adjecta posterioribus feudi investituris non attenditur.
- 13 Juramentum fidelitatis proprietatem feudi arguit contra num. 14. feudi naturam famularum numero 15.
- 16 Constitutiones Pontificiæ casus futuros non præteritos regulant.
- 17 Statutum Laicale non afficit feudum Ecclesiæ nec quoad succedendi modum.
- 18 Observantia in feudis quoad successionem attenditur: declarata si sit uniformis n. 19.
- 20 Rota in Mantuana dotis 10. Junii 1637. Cocchino declaratur.

Præmortuo sine liberis Marchione Aloysio Gonzaga D. Marchionissa Francisca ejusdem soror ac hæres testamentaria contra D. Marchionem Julium Cæsarem Fratrem Patruelis judicium immisionis instituit vigore legis ultime C. de edict. super portione feudi Curia Podii per eundemmet Aloysium, dum degeret in humanis, possessa, & ex l. investituræ vocatis dumtaxat in tabulis ipsius testamentariis refer-

vata, super cujus immisionis articulo per me proposito dubio Dominæ Marchionissæ eadem immissio hodie decreta. Cùm enim prima hujus feudi investitura recepta pro se liberis suis masculis, ac foeminis in infinitum à qua debent successivè virtute relationis habita declarari, ut tradunt Menoch. consil. 148. num. 26. Bero consil. 103. num. 5. Surd. consil. 474. num. 6. Rota coram Caval. decis. 557. num. 3. & decis. 74. numero 4, & 5. part. 7. recent. sexum* comprehendat utrumque juxta text. in cap. primo §. hoc notandum de his, quæ in feud. dar. poss. & in cap. primo §. filia de success. feudi Menoch. decis. consil. 148. numero 10. vers. præmitto secundo Burfatt. consil. 49. num. 66. cum aliis per Schrader. de feud. part. 7. cap. 4. num. 41. debet proinde D. Marchionissa soror Aloysii, & consequenter proximior* in gradu prælationem in hoc feudo penitus improprio, ac franco in concursu D. Marchionis Julii Cæsaris patruelis, adeoque remotioris in gradu obtinere, ut notat Angel. consil. 321. num. 4. Menoch. consil. 65. num. 16. Rota in Brisien. feudi prima Julii 1592. coram Cardinali Pamphilio in princ. ad quod etiam una cum ipso licet masculino debuisset admitti, si in pari consanguinitatis gradu uterque extitisset, Bald. in l. quoties num. 3. C. de suis & legitim. Roman. consil. 377. num. 12. Paris. consil. 4. nu. 14. volum. primo Dec. consil. 139. num. 2. Surd. consil. 317. num. 35. & consil. 407. num. 26. Schrader. de feud. cap. 4. num. 79. Rota in dicta Brisien. feudi coram Card. Pamphilio in §. nec etiam obstat.

Feudum autem hoc improprium exinde con-jicitur, ac francum + quod investitis nullum personale servitium demandetur ad text. in cap. si cui milit. de feud. & benef. in extravag. cujus auctoritatem sequitur Menoch. consil. 65. n. 16. Ruin. consil. 18. nu. 17. vol. 1. Corn. consil. 16. n. 9. lib. 1. ac plures alii relati per Clar. in §. feudum 4. 78. n. 7. & 8. Gratian. discept. forens. cap. 736. n. 73. Franc. d. 7. nu. 1. & 2. Rota coram Caval. d. 172. n. 3. & d. 214. n. 8. p. 7. rec.

Ita ut censetur* proinde remissum cap. Verum de for. compet. ubi Innoc. n. 2. Oldrad. consil. 234. nu. 2. Paris. consil. 23. nu. 32. lib. 1. Afflict. d. 371. num. 34. Rota coram Seraph. decis. 1105. num. 9. Tum etiam quia primæ concessio non gratuito juxta feudi proprii naturam sed bene merentis + causa processit ob præstita scilicet Ecclesiæ servitia, in specie quidem, non autem in genere recensita juxta text. in cap. 1. quemadmodum feud. ad fil. pertin. poss. Jas. consil. 57. n. 3. vers. 3. principaliter lib. 1. Job. Non. consil. 1. n. 37. Surd. consil. 140. n. 42. Gratian. discept. forens. cap. 736. nu. 79. & 80. Rota in Sarinaten. feudi 22. Junii §. præterea in hoc feudo & 18. Decembris §. ex quibus verbis 1645. coram R. D. meo Decano & 3. Julii 1651. coram Eminentissimo D. Card. Orthobono, Tum quia denique omnimoda feudi dispositio + licet ordinarius directus ejusdem Domini reclamaret, legitur quoque attributa, ut ad hunc effectum ponderat Gabr. consil. 83. num. 7. & 8. lib. 1. Gratian. cap. 736. num. 75. Rota coram Seraph. dec. 1105. n. 1. & in d. Brisien. feudi §. accedit quod istud coram Card. Pamphilio.

Quæ sanè facultas dispositionis omnimodæ neque poterit archata præsumi ex præservativa clausula* salvo jure feudi prædicti ibidem adjecta juxta text. in cap. 1. de feud. non habent propriam feudi naturam Menoch. consil. 61. nu. 17. & consil. 545. n. 6. Rosentall. de feud. cap. 2. consil. 37. sub litera D. Olfac. decis. 164. sub numero 10. sive

sive ex prohibitione alienationis in successivis investituris inserta. Ea quippe clausula, salvo, restrictionem recepit ex sequenti verbo, prædicti, ita ut alia dumtaxat jura excipiat, non autem facultatem disponendi ante tributam, nec improprietate feudi consequente excludat, ut notat Bald. præludio feudor. num. 27. Natt. consil. 404. nu. 20. Roland. consil. 1. nu. 73. lib. 3. Peregrin. consil. 19. n. 21. lib. 1. Giovagn. consil. 8. n. 159. lib. 1. Decian. consil. 24. num. 98. lib. 1. Menoch. consil. 378. n. 43. Gramm. decis. 66. n. 7. Successiva verò prohibitio + alienationis apposta in fequentibus investituris, in prima verò feudi concessione posthabita, non suffragatur, ut advertit Signorol. consil. 60. nu. 2. Burfatt. consil. 150. n. 5. in fin. vers. hinc dico Menoch. consil. 148. nu. 32. & in terminis feudi, de quo agitur Rot. decis. 587. num. 7. p. 2. divers. Cùm illæ à præcedenti debeant regulari, neque in præjudicium vocatorum + valeant innovari juxta text. in c. 15 §. penult. quib. mod. feud. amitt. Riminald. jun. consil. 18. n. 101. lib. 1. Rot. in decis. Brisien. feudi §. neque obstat coram Card. Pamphilio.

Hujus autem feudi proprietates perperam arguitur ex juramento fidelitatis in instrumento concessionis specialiter requisito ac investitis consequenter in juncto, quippe quod personale servitium regulariter importans feudum proprium videatur innuere, licet in aliqua sui parte reputetur improprium, ut ex aliorum auctoritate comprobatur Rovit. consil. 79. n. 8. 29. & Schrader. de feud. par. 2. cap. 2. n. 72. Quoniam juramentum hoc, in feudis quoque impropriis consuetum adhiberi, ea dumtaxat* inferre censetur, quæ feudo improprio valent æquæ congruere, non autem pro inducenda proprietate feudi poterit describere, ut tradit Paris. consil. 12. nu. 29. & 30. lib. 1. Ruin. consil. 18. num. 13. lib. 1. Cephal. consil. 151. n. 20. cum seqq. Menoch. consil. 65. n. 32. & 33. Gratian. discept. forens. cap. 736. n. 74. Rot. decis. 41. n. 2. p. 1. divers. & in Altn. feudi 5. Novembris 1628. coram Rubeo. Quod præterea juramentum fidelitatis accessorium feudo ex vocatione.

15 Foeminarum improprio, ipsius naturam + alterare non potest, sed debet eidem famulari, ut pluribus declarat ac comprobatur Schrad. decis. cap. 4. num. 77. & 68. & Rota in decis. Brisien. feudi coram Pamphilio §. neque obstat.

Neque D. Marchionissam ab hujus feudi consecutione repellent sive constitutiones Apostolicæ, sive dispositio statuti Mantuani foeminas masculos præferentis, cùm Apostolicæ constitutiones futuris dumtaxat concessionibus prospiciant, non autem præteritis, nec feudum hoc antèrè consequenter includant ad text. in cap. deliberatione §. volentes de offic. deleg. lib. 6. ubi Genuen. n. 2. not. gloss. in cap. quamvis in verbo ad decimas de decimis Felin. in cap. ultimo nu. 3. de consil. Covar. var. lib. 1. cap. 17. n. 5. Rot. dec. 319. n. 3. part. 1. divers. & in Romana Salvian. 24. Januarii 1650. in §. minus refragantur coram R. P. D. meo Peutingerio statutaria verò dispositio + utpote laicalis huic feudo ratione Domini ac proprietatis Ecclesiæ legem imponere nequit, ut notat Dec. in cap. Ecclesia S. Mariæ n. 218. de consil. Imol. in cap. quod Cleric. n. 4. de for. compet. Ruin. consil. 185. n. 8. lib. 2. cum aliis late deductis in Ravenaten. hereditatis 5. Junii 1648. in §. tamen coram Eminentissimo D. Card. Orthobono & in Romana Domorum 15. Decembr. 1649. §. ultim. coram R. P. D. meo Bichio & in Ravenaten. bonorum

27. Martii 1651. in §. quia utpote laicale coram R. P. D. meo Cerro.

Non etiam eandem Marchionissam excludit observantia, pro elicienda masculorum prælatione deducta ex investituris, spatio annorum 300. & ultra ipsorum favore dumtaxat expeditis, nec non ex altera de anno 1622. masculos remotiores foeminis proximioribus præferente, tum ex recepta per matrem atque Tutricem D. Marchionissæ Francisca pro masculino, ipsa licet tunc existente posthabita, sive ex testamentaria denique declaratione Aloysii quarti, quod feudum hoc in vim antiquarum investiturarum ad solos masculos pertineret cùm ipsa observantia in materia feudali spectari potissimè soleat cap. 1. §. Præterea quid sit investitura ubi Bartol. vers. item nota Ruin. consil. 38. nu. 6. & consil. 40. nu. 11. lib. 1. Menoch. consil. 391. nu. 12. Rot. decis. 93. n. 59. p. 5. recent. & coram Burat. decis. 206. n. 22. præterquam quod enim exemplo non justificatur foeminas tunc temporis extitisse in pari gradu + cum masculis, contrarium præterea convincitur ex instrumentis in summario Marchionissæ exhibitis n. 2. & 3. præferentibus feudum hoc delatum fuisse Lauræ, ac Margaritæ, Marchione Francisco Patruelis posthabito, illudque per Annam Mariam in concursu Marchionis Julii patris patrueles successivè fuisse consequutam, nec non etiam in hoc pariter feudo ad exclusionem patris in favorem filii judicatum testatur Paris. consil. 13. n. 17. lib. 1. ita ut ex actibus contrariis allegatis observantia destruat, ut respondit Rota coram Merlino decis. 99. num. 5. & 6. decis. 532. n. 22. cum aliis relatis in Cracovien. declinarum 20. Martii 1651. nec ex altero coram me vel difformis inde consurgens D. Marchioni Julio Cæsari nequeat suffragari, Alex. consil. 6. lib. 1. Surd. consil. 354. n. 28. Rot. decis. 37. n. 36. part. 2. divers. coram Greg. decis. 461. n. 7. & coram Burat. decis. 229. numero 6.

Denique non urget in contrarium allegata decisio in Mantuana dotis + 10. Junii 1637. coram bon. mem. Cocchino. Ibi enim feudum hoc negatur hypothecabile, quia pactonati vel saltim mixti naturam assumat, non autem simultanea foeminarum admisso denegatur cum masculis si in pari gradu existant ac masculorum remotiorum exclusio in concursu foeminae proximioris, cùm à proprietate vel improprietate feudi, id pendere noscatur ex supra deductis, quod etiam + in pactonatum ac hæreditarium dividi solet, ut pluribus comprobatur idem Schrad. de feud. part. 2. cap. 3. num. 19.

Et ita utraque &c.

DECISIO CIX.

R. P. D. VEROSPPIO.

Romana Fideicommissi.

Veneris 3. Decembris 1655.

SUMMARIUM.

- 1 Regressus ad jura renuntiata non datur.
- 2 Fideicommissi scientia requiritur pro validitate renunciationis, declarata ut numero 4.
- 3 Innuatio non requiritur in renunciatione fideicommissi adhuc non purificati.
- 5 Renunciatio non extenditur de persona ad personam, declarata ut nu. 6. Ob plures causas